BSB Bayerische StaatsBibliothek

Münchener DigitalisierungsZentrum
Digitale Bibliothek

Sedulius <Scotus>

Carmina quadraginta Ex codice Bruxellensi

Halis Saxonum 1869

4 A.lat.a. 563
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10217393-3

Copyright

Das Copyright für alle Webdokumente, insbesondere für Bilder, liegt bei der Bayerischen Staatsbibliothek. Eine Folgeverwertung von Webdokumenten ist nur mit Zustimmung der Bayerischen Staatsbibliothek bzw. des Autors möglich. Externe Links auf die Angebote sind ausdrücklich erwünscht. Eine unautorisierte Übernahme ganzer Seiten oder ganzer Beiträge oder Beitragsteile ist dagegen nicht zulässig. Für nicht-kommerzielle Ausbildungszwecke können einzelne Materialien kopiert werden, solange eindeutig die Urheberschaft der Autoren bzw. der Bayerischen Staatsbibliothek kenntlich gemacht wird.

Eine Verwertung von urheberrechtlich geschützten Beiträgen und Abbildungen der auf den Servern der Bayerischen Staatsbibliothek befindlichen Daten, insbesondere durch Vervielfältigung oder Verbreitung, ist ohne vorherige schriftliche Zustimmung der Bayerischen Staatsbibliothek unzulässig und strafbar, soweit sich aus dem Urheberrechtsgesetz nichts anderes ergibt. Insbesondere ist eine Einspeicherung oder Verarbeitung in Datensystemen ohne Zustimmung der Bayerischen Staatsbibliothek unzulässig.

The Bayerische Staatsbibliothek (BSB) owns the copyright for all web documents, in particular for all images. Any further use of the web documents is subject to the approval of the Bayerische Staatsbibliothek and/or the author. External links to the offer of the BSB are expressly welcome. However, it is illegal to copy whole pages or complete articles or parts of articles without prior authorisation. Some individual materials may be copied for non-commercial educational purposes, provided that the authorship of the author(s) or of the Bayerische Staatsbibliothek is indicated unambiguously.

Unless provided otherwise by the copyright law, it is illegal and may be prosecuted as a punishable offence to use copyrighted articles and representations of the data stored on the servers of the Bayerische Staatsbibliothek, in particular by copying or disseminating them, without the prior written approval of the Bayerische Staatsbibliothek. It is in particular illegal to store or process any data in data systems without the approval of the Bayerische Staatsbibliothek.

4°
A. lat. a.
563

10217393

4° Cl. lat. a. 563

10217393

10217393

10217393

10217393

BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS

10217393

quidem principem obtinet locum Hartgarius episcopus Leodiensis sive Tungrensis, [9]) in cuius clientelam gratissimam Sedulius se contulit; quo mortuo erga Franconem successorem eius simili condicione usus est. Nec minori amore prosequitur Guntharium Coloniensem archiepiscopum a papa postea depositum, Hilduinum fratrem eius Cameracensem episcopum, Aduentium Mettensem, Leutbertum Monasteriensem, ni fallor, episcopum, Haddonem abbatem Fuldensem.[10]) Sociorum Hibernicorum item presbyterorum recenset auctor nomina Fergi, Blandi, Marci, Beuchellis, quibus forsitan Dermoth adiungendus est.[11]) Quamvis ex poematibus istis liqueat, Sedulium ex Hibernia patria in Franciam delatum intra annos circiter 840 et 860 in monasterio S. Lamberti Leodii degisse ibique magistri munere fortasse functum esse, res tamen gestas paucissimas tantum extorquere possis, quia Musa eius eisdem similibusve verbis saepius repetitis res formis nimium vagis incertisque exprimat. Audimus igitur de dimicationibus a Hlothario imperatore vel ab Hartgario Franconeque praesulibus contra Nordmannos actis, de duobus Hartgarii episcopi itineribus Romanis, de regum nonnullis conventibus, sed nunquam fieri potest, quin ex Sedulii versibus factorum imago vivis coloribus depingatur. At poetae ipsius indolem moresque ex iis cognoscimus: animum pium devotumque erga ecclesiam, maximum adulandi affectum in viros potentes, caritatem qua necessarios amplectitur, cibi potusque aestimationem idoneam, quae philosophum gravem ad ioca ludicrave interdum impellit. Operae ergo pretium facturus mihi videor, si viri ob amplae doctrinae meritum inter aequales suos magni aestimati poematum messem hic proponam, quorum sermo modo vulgatam bibliorum versionem modo Vergilium aliosque poetas Latinos redolet.

Sedulii carmina, quorum maxima pars aut metro heroico aut elegiaco aut sapphico utitur, uno tantum codice Bruxellensi, olim hospitalis S. Nicolai Cusani, saeculi XII numero 10725 signati asservantur, de cuius argumento post Pertzium ac Bethmannum Reiffenbergius fusius disputavit.[12]) Ut copiam eorum uno conspectu complectaris

Lotharii" scripsit Hincmarus epistulas duas (Flodoardi Hist. Rem. III c. 26). [9]) Jahrbuch für vaterländ. Gesch. p. 170, cfr. catalogum episcop. Leodiens. (Mon. Germ. Scr. XI, 292 adn. 3), chartam anni 842 ab eo subscriptam (Ritz Urk. zur Gesch. des Niederrheins p. 10) „ego Hartgarius Tungrensis ecclesie episcopus". Obiisse videtur anno 854. Franco cum Reginario comite contra Nordmannos, „frequenter in acie confligentes perraro victi multoties extitere victores" (Folcuini gesta abbat. Lobiens. c. 17, Scr. IV, 62). [10]) Guntharius ecclesiae Coloniensi praefuit annis 850—863, Hilduinus Cameracensi 862—863 (cfr. Gesch. des Ostfränk. Reiches I, 472, 506), Aduentius Mettensi, Drogone antecessore eius iam a. 855 mortuo, a. 858—875 (ibid. 453, 828), Liutbertus „filius Ripuariae" Monasteriensi a. 849—871 (cfr. Ann. Xantens. 871, Scr. II, 234), Hatto abbatiae Fuldensi a. 842—856. Epitaphium Hildeberti episcopi fortasse ad Coloniensem chorepiscopum (834—862) pertinet (cfr. Ann. Coloniens. Scr. I, 97). [11]) „Fergus nomen Hibernicum occurrit etiam apud Zeuss

10217393

(28) Item. Vos comitetur, amen, pietas pax alma potestas.
(29) Idem ad Lodeuuicum regem, ed. Grosse p. 9, ubi corr. v. 85 Numides.
(30) Idem de quadam medicinali domo Nr. XV.
(31) Idem de quadam speciosa domo, ed. Grosse p. 11, ubi corr. v. 14 linia, 29 Vedaste, 35 seno, 42 respiciet.
(32) Ad Franconem, ed. Grosse p. 16.
(33) Idem ad suos infra Nr. XVI.
(34) Idem ad eundem Fergum Nr. XVII.
(35) Idem Sedulius ad Ruobertum Nr. XVIII.
(36) Epitaphium de filio Eberhardi comitis, ed. Dümmler Jahrbuch für vaterländ. Gesch. I, 180.
(37) Ad eundem Eberhardum de nato puero, ed. Dümmler l. l. p. 180.
(38) Ad praefatum Eberhardum gloriosum comitem. Metrum saphicum, ib. p. 182.
(39) Epitaphium. Hildbertus meritis qui fulsit episcopus almis.
(40) De quodam uerbece a cane discerpto Nr. XVIIII.
(41) De quadam ecclesia Nr. XX.
(42) Item ad Bertam. Maternum specimen, patrium decus atque uenustas.
(43) Ad Karolum regem. Ferte uiro casiam myrram date cinnama ferte.
(44) De strage Normannorum, ed. Reiffenberg l. l. p. 96, Grosse p. 8, ubi corr. v. 43 os Mortis (Haupt).
(45) Idem contra plagam. Libera plebem tibi seruientem.
(46) Item de quodam altari Nr. XXI.
(47) Versus in quodam picto solario scripti. Angelus apparet Zachariae missus ab astris.
(48) Idem ad Hartgarium. Nr. XXII.
(49) Idem Nr. XXIII.
(50) In quadam ecclesia. Hos pietatis equos Christus regit undique frenis.
(51) Item. Aures in domini Sabaoth martires orant.
(52) In uelo quod Chintila rex in honore Petri optulit hi uersus scripti sunt, editi ap. Mabillon analecta vet. 388. Aurea concordi quae fulgent fila metallo ed. ap. Riese Anthologia Latina n. 390.
(53) Hartgarius episcopus ad Eberhardum, ed. Dümmler Jahrbuch I, 184.
(54) Rector serene rutilans sub axe sidus (sine rubrica).
(55) Contra mendosos Nr. XXIIII.
(56) Oratio contra falsidicos testes. Lux aeterna, deus, fons lucis, fons ueritatis.
(57) Item de ipso falsidico teste, ed. Grosse p. 11, ubi corr. v. 11 quid.
(58) Item rhitmici uersiculi, ed. Grosse p. 6, ubi corr. v. 22 infulatus, v. 27 de Siloa.
(59) Incipiunt reciproci uersus scripti domino imperatori Lothario Nr. XXV.
(60) De aduentu imperatoris Lotharii Nr. XXVI.
(61) Versus ad Bertam. Maternum specimem patrium decus alma uenustas.
(62) Item. Te beate rex precamur, ed. Grosse p. 6, ubi corr. v. 4 uides, 8 Vitis sit te uilicante sphaerulis serenitas (Haupt).
(63) Culmen opes sobolem pollentia regna triumphos, ed. ap. Bedam ecclesiast. hist. gentis Anglor. l. V c. 7, Ang. Mai Classicor. auctor. V, 403.
(64) De paschali festiuitate Sedulius composuit Nr. XXVII.
(65) Quoddam problema. Item de ipso problemate. Inuentum fuerit si uerum non erit aequum.
(66) Ad Leutbertum episcopum Nr. XXVIII.

10217393

I. SEDULIUS AD HARTGARIUM EPISCOPUM.

Flamina nos Boreae niueo canentia uultu
perterrent subitis motibus atque minis.
tellus ipsa tremit nimio perculsa pauore,
murmurat et pelagus duraque saxa gemunt.
aereos tractus Aquilo nunc uastat iniquus
uocibus horrisonis murmuribusque sonans.
lactea nubifero densantur uellera caelo,
uelatur niuea marcida terra stola.
labuntur subito siluoso uertice crines
nec stat harundineo robur et omne modo.
Titan, clarifico qui resplendebat amictu,
abscondit radios nunc faciemque suam.
nos tumidus Boreas uastat, miserabile uisu,
doctos grammaticos presbiterosque pios.
namque uolans Aquilo non ulli parcit honori
crudeli rostro nos laniando suo.
fessis ergo fauens, Hartgari, floride praesul,
sophos Scottigenas suscipe corde pio.
scandere sic ualeas caelestia templa beatus
aetheream Solimam perpetuamque Syon.
praesulis eximii clementia mensque serena
flamina deuicit rite superba domans.
suscepit blandus fessosque loquacibus Austris
eripuit ternos dapsilitate sophos.
et nos uestiuit triplici ditauit honore
et fecit proprias pastor amoenus oues.

II. IDEM AD EUNDEM PONTIFICEM.

Iamne uiam carpens nos deseris, o bone pastor?
sed tamen in nostro pectore fixe manes.
nam licet abscedat uultus praesentia uestri,
spiritus haut aberit dulcis amorque tuus.
semper eris nostro carum decus et gaza cordi,
te quocumque ferat dextra superna dei.
iuro per hos digitos pennaeque loquacia rostra:
non Alpes diriment talia uincla mihi.

I. Idem ad eundem episcopum *C.* 2 montibus *C.* 17 harigari *C.*

10217393

absentemque uocans te cupit, alme pater.
15 murmurat omne nemus, campi collesque gemescunt,
merendo Driadum murmurat omne nemus.
nam gregis eximii formosus pastor abiuit,
discessit custos nam gregis eximii.
Itala, fructiferam, tellus, quae gignis oliuam,
20 nostram da nobis, Itala, fructiferam.
mittito floriferam sophis in gaudia uitem
electamque Sorehc mittito floriferam.
redde suum populo sidus lampabile uultu,
solamen cuncto redde suum populo.
25 uince piis gradibus scopulos, pater, oro, minaces,
aereos montes uince piis gradibus.
scandito uictor ouans Alpes, ubi maximus heros
Hannibal est uictus, scandito uictor ouans.
perdidit ille oculum torua sub fronte latentem,
30 Alpibus in celsis perdidit ille oculum.
florigeri pateant uobis, pater optime, campi,
post Alpes agri florigeri pateant.
aspera quae fuerint sint uobis mitia quaeque,
prospera contingant aspera quae fuerint.
35 dulcia mella fluant nec Bachica munera desint,
Hartgario domino dulcia mella fluant.
uos reuocate uirum, gemini cancerque, beatum
aurea signa poli, uos reuocate uirum.
te leo, sancte pater, Danielem quomodo celsum,
40 excipiat blandus te leo, sancte pater.
quem tuleras, aries, pastorem, tu mage fortis,
o leo fulue, refer, quem tuleras, aries.
sit leo uictor, amen, aries uictusque superbus,
te redeunte, pater, sit leo uictor, amen.
45 uer redit ecce nouum secum pia gaudia portans,
florida cuncta ferens uer redit ecce nouum.
tristibus exoritur nobis nunc sidus amoenum,
solamenque pium tristibus exoritur.
nunc et oliua micat, nunc uitis florida gemmat,
50 palmaque florescit, nunc et oliua micat.
cedrus adest Libani non falso nomine dicta,
cuncti laetemur: cedrus adest Libani.
nunc, bone pastor, aue, sanctos comperte labores;

19 fructiferus-oliuas *C.* 22 soreht *C. cfr. Iudic.* 16, 4. 23 lambabile *C.* 28 Hannibale uictus *C.* 29 turba *C.* torua *corr. Haupt.* 47 sydus *C.*

10217393

uellere deque tuo pellantur frigora multa,
nos defende, precor, uellere deque tuo.
pellis et exuuiis sit kartula famaque perpes,
nomen sparge polo pellis et exuuiis.
15 despice sic miseram, meliorem delige uitam,
multo, breuem uitam despice sic miseram.
fors eris astrigeri praefulgens sidus Olimpi,
mox aries caeli fors eris astrigeri.
multo, uenito, triplex, tu, multo corpore multus,
20 cornua sena leuans, multo, uenito, triplex.
subleuet altithronus sic nostrum Daphnin ad astra,
felici cornu subleuet altithronus.
scribere non ualeo nec multas ferre Camenas;
te sine, multo, fleo, scribere nec ualeo.

V. IDEM AD EUNDEM BEATUM PRAESULEM.

Tempus adest niueum sincera luce choruscum,
quo dominus natus tempus adest niueum.
nos igitur niuei sincera mente micemus,
o fratres simus nos igitur niuei.
5 cunctipatris genitum peperit benedicta Maria
mundi rectorem cunctipatris genitum.
sic chorus ecclesiae sobolem parit altipotentis,
florida uirgo manet sic chorus ecclesiae.
sponsus erat Mariae Ioseph pius atque beatus,
10 tunc matris domini sponsus erat Mariae.
pastor amoenus adest nobis in gaudia sponsus,
consimilis Ioseph pastor amoenus adest.
transuehit ex tenebris Aegypti nos pius iste
in lucis patriam transuehit ex tenebris.
15 nascitur angelicus Bethlem tunc limite panis,
Messias panis nascitur angelicus.
hic domus est domini, panis quoque potus et almus,
eximior Bethlem hic domus est domini.
tunc chorus angelicus laudes dedit ore canoras
20 dulce melos cecinit tunc chorus angelicus.
hic chorus eximius uoces in sidera tollit
te Syon memorans hic chorus eximius.
angelus hic domini Sabaoth personat almus,
mittit in astra preces angelus hic domini

V. 21 sydera *C.* 22. chorus angelicus *C.*

10217393

15 pelliciam tunicam quam primi habuere parentes
per me deponit sancta caterua dei.

VII. DE ADUENTU DUORUM REGUM LUODEUUICI ET KAROLI.

Hic gemini rutilant Libani de uertice fratres:
aureus ut Karolus, sic Luodeuuicus adest.
arma quibus iustis dextra laeuaque choruscant,
hostes ecclesiae quîs domuere truces.
5 rex aetate prior, boreali climate cunctos
arces barbaricos, dux benedicte, uiros.
dextera sic domini Karolum leuat inclita Christi
parteque dextrali clara trophaea refert.
ambo rectores, ambo sunt fulmina belli,
10 sunt geminae stellae, sunt decus ecclesiae.
nam deus omnicreans ducibus his rector Iesus
cornua clara suae protegit ecclesiae.
his Europa micat, his gaudet filia Syon,
his manet inuictus christicolum populus.
15 hos benedixit enim caesar pius atque beatus,
hos Luodeuuicus ouans liquit in orbe duces.
quamuis per plures micuerunt stemmate reges
nec tam praeclaras progenuere rosas.
sic Luodeuuicus enim sub caeli cardine solus
20 hoc geminum meruit pignus habere suum.
hos comitetur, amen, uictoria, pompa, trophaea,
pax, ardens uirtus, intemerata salus.
linguosi populi dextra laeuaque locati
hos primo timeant, hinc uenerentur, ament.
25 aurea secla nouis contexant ordine sceptris,
disponant Francis prospera regna suis.
quosque regunt nutu, dominentur perpete sceptro
gentes multiplices propiciante deo.
unicus his amor est felix concordia pacis,
30 augustos geminos protege, Christe, uiros. finit.

VIII. AD VULFENGUM.

Vulfengo domino duodenas opto salutes,
nam chorus hoc numero gaudet apostolicus.

VII. lodeuuicus *C*. VIII. *inscriptio deest in cod.*

10217393

Tristis est tellus, polus ipse gaudet,
angeli uernent melicis et odis.
praesulem sanctum preciosa semper
infola comat.
Ecce mirentur rutilum topazum
aureum caeli uenerentur astrum,
cognoscant patrem, hilares salutent
castra beata.
Sit tibi Christus genitorque Christi
spiritus sanctus patris atque nati
fortis adiutor requiesque laeta
semper in aeuum.
Esto pro nobis clipeus, beate
pontifex alma decorate luce,
arce Sionis meritis choruscans,
optime praesul.

X. DE ADUENTU FRANCONIS EPISCOPI.

Fistola nostra sonet melicis et concinat odis,
Musis organizans fistola nostra sonet.
dulce sonate melos, sollempnica ducite festa;
dulcis adest pastor, dulce sonate melos.
christus adest domini sacrato chrismate uernans;
plaudite christicolae: christus adest domini.
filia pulchra Syon, himnizans uoce sonora,
gnosce tuum sponsum, filia pulchra Syon.
hic uir hic est domini Lantberti nobilis heres,
eximius praesul hic uir hic est domini.
cunctus ouans populus nunc alleluia cantat,
promit osanna nouum cunctus ouans populus.
stella uenusta micat, Drogonis maxima cura,
ecclesiae specimen, stella uenusta micat.
cinnama ferte uiro, redolentes spargite flores,
in fialis niueo cinnama ferte uiro.
pistica nardus ei liquidos respiret odores,
profluat ubertim pistica nardus ei.
splendide pastor, aue, Franco, lux aurea cosmi,
florida spes populi, splendide pastor, aue.

XI. IDEM AD ERMINGARDEM IMPERATRICEM.

Francigenum rectrix, laus orbis, gloria Romae,
nobilium soboles flosque decusque patrum,
relligiosa parens, patuli lux aurea mundi,
hos, Ermingardis, sume, beata, modos.
praedicat in populis te candida fama per orbem,
spargitur ad Tylen nomen honosque tuus.

X. 1 concinet *C.* 16 insialis. cinnima *C.* XI. Ermigardem *C.*

10217393

XII. HINC UERSUS AD ERMINGARDEM IMPERATRICEM CONSCRIPTI IN SERICO PALLIO DE UIRTUTIBUS PETRI APOSTOLI.

Cephan Andream Messias puppe sequestrat.
piscosam Cephas praedam capit ore tonantis
sub genibusque dei statim prosternitur almis.
tum pro se Petrus staterem dat proque magistro.

Edocet altithronus Petrum sequeretur ut ipsum. Item
irrorat Cephas sinagogam nectare uerbi.
suscipit Aeneas optatae dona salutis.
monstrantur uestes Dorcas quas texuit alma.

Glaucicomis undis lapsantem dextera Petrum Item
subleuat altithroni noscit prolemque tonantis.
aethereae Solimae Petrus fit clauiger almus,
cui dat ouile deus triplicis post famen amoris.

Thabitam Symon Acheronte reduxit ab imo, Item
apparet cunctis mox uiuens laetaque Dorcas.
eximius pastor populi didascalus ampli
Cornelium sacro catezizat dogmate Christi.

Claudus ouat gressu Petro miserante salaci, Item
impius Herodes quem tetro carcere trusit,
angelus aethereis sed tunc demissus ab astris
mox Simona pium latebrosis duxit ab antris.

Cornelium Petrus sacrato fonte reformat, Item
Antiochia potens cuius mox lampade gaudet.
aurea Roma cluit Petro Pauloque refulgens;
hos contra uehitur Simon magus arte strophosa.

Angelus a Petro discessit in aethera scandens Item
ecclesiae princeps post haec ad tecta Mariae
uenerat, excipitur hospes uenerandus honore,
instruit hinc plebem tenebris morbisque repulsis.

Fertur in astra uolans Simon mirabile monstrum, Item
labitur infelix, moritur fractoque cerebro.
purpureum sidus Petrum crux sacra coronat.
Paule, caput perdens Christum caput eligis altum.

XII. 1 sequestra *C. cfr. Matth.* 4, 20. 2 *Luc.* 5, 6—8. 4 *Matth.* 17, 27. 5 *Ioh.* 21, 22. 6 *Act. Ap.* 3, 12. 7 *Act.* 9, 34. 8 *Act.* 9, 39. 9 *Matth.* 14, 31. 11 *Ioh.* 21, 17. 13 *Act.* 9. 40. 15 *Act.* 10, 31. 16 catazizat *C.* 18 *Act.* 12, 4; 7. 21 *Act.* 10, 1. 24 *Act.* 8, 9.

10217393

Haec regina potens rutilo descendit Olimpo **Medicina**
dona salutigero dans cunctis ore per orbem,
quae uictrix domitat morborum mille dolores,
10 fronteque florigera cui lumina terna choruscant,
nectareisque fluunt sucis tot flumina mammis,
ex quis terrigenas potat saluatque cateruas.
aspice diuicias medicinae matris opimas,
ex paradisiacis quas secum detulit hortis.
15 hoc unguenta sacros respirant ordine odores,
turea dona quibus preciosaque balsama cedunt
emicat antidotis flagrantibus ordo secundus,
quîs expelluntur contraria quaeque saluti;
quae genitrix olim cum descendisset ab astris,
20 credo, quod Hesperidum florenti detulit horto.
montis oliuiferi supremo limite dona
mixta medeliferis flauescunt nectare sucis.
salue, sacra domus, medicinae maxima cura,
spes ampli populi redolentum plena bonorum.

XVI. IDEM AD SUOS.

Egregios fratres Fergum Blandumque saluta
Marcum Beuchellem, cartula dulce sonans,
quorum forma decens ut nostro pectore floret,
sic magis atque magis gliscit et almus amor.
5 fratres, nam fateor quod non mihi cornea fibra
sit neque de scopulo corcula creta mea,
sed feruet nostris uestri dilectio fibris,
namque nefas tales est nec amare uiros.
taliter in nostro torquentur pectora Codro,
10 o si sint rabida uiscera rupta uiro!
Ferge, mihi semper sis alma sagitta salutis,
Sedulium precibus fac memorare tuum.
o quales gemitus ructant tua uiscera, frater!
o sacros haustus nectareasque preces!
15 ergo age, ne cesses aures pulsare tonantis,
quo mea permundet cuncta piacla deus.
fusca procaxque tonans sophico sic pectore Musa
te canet arcitenens Ethiopissa mea.

XV. 8 salutigere *C*. XVI. 5 *cfr. Pers. sat. I v.* 47. 6 creta pio *C*. mea *coniec. Haupt*. 10 *cfr. Verg. ecl.* 7, 26. 18 *cf. Numer.* 12, 1.

10217393

sic uobis magnae tribuatur gloria palmae
cordeque clementi manabunt balsama Christi.
quaesumus, ut multis multetur multo superbus
nobis Scottigenis, haec qui bene mandere scimus.
gutture sic liquido nam uos mea Musa sonabit
Ethiopissa loquax saturataque carmina dicet:
plus dedit ille pius nam roscida munera Bachi
ter centum fialas donauerat ipse poetae.

XVIIII. DE QUODAM UERBECE A CANE DISCERPTO.

Cum deus altipotens animalia condidit orbis,
quae mare, quae tellus, quae tenet atque polus,
multo multones tunc multiplicauit honore
inter balantes fecit eosque duces;
tegmine lanigero uestiuit conditor almus,
induit ex crasso corporis hosque peplo;
cornibus et curuis frontes armauit aduncas,
contra cornigeros bella superba gerant.
naribus in geminis sparsit uiresque superbas,
flatibus in multis multiplicauit eas.
mitis simplicitas sed cornibus insita sacris,
toxica nec lacerant hosque uenena pios.
unde mihi, fateor, horum dilectio creuit,
creuit amor pepli, pinguis et umbilici.
iuro per hos digitos, quod in hoc non mentior umquam
tales quod cupio, diligo semper, amo,
nec Lethes fluuius sacrum delebit amorem,
os qui proloquitur, conscia mens prohibet.
nostri uersiculi hos laudant hosque salutant,
nec falsum dico, scis uelut, alme pater.
nam uestri nobis furuos clementia furuis
multones tribuit, saepe dedit niueos.
quorum qui fuerat formosior ac mage pinguis
heu! quam crudeli morte peremptus obit.
egregii pecoris custos praeclarior ipse
ulli nec parilis nec similisque fuit.
cornibus et rigidis excelluit alma potestas
omnes cornigeros candidulosque greges
uellere qui niueo niueisque micabat ocellis,
fortis et in pugna uictor inormis erat.

XVIIII. 9 Maribus *C*. 17 Letheus *C*.

10217393

sin autem rabies uestri rauceusque latratus
in me tranquillum bella cruenta ciet:
per caput hoc iuro, per cornua perque superbam
hanc frontem, uobis praemia digna feram."
hic dictis subito permulsit corda ferarum,
pax fieri cepit binaque pars resilit.
unus sed fuerat ueluti latrator Anubis,
cui canis inferni Cerberus ater auus,
gutture qui triplici ceruos agitare fugaces
informesque ursos arte solebat aui.
is cum conspiceret rabidum genus esse quietum
dentibus infremuit hirtaque colla tumet.
„En uos, inquit, ouis ficto sub nomine pacis
ceu uulpes ludit subdola uerba sonans.
hic fur est nequam furis comes atque malignus,
ideirco bini frondea tecta petunt.
causa mali tanti, testor, hic solus habetur,
qui pacem uerbis fronte facitque minas."
tunc os falsidici uibratis cornibus ingens
multo ferit dentes fregerat atque duos,
insuper et frontem contriuit fronte caninam
et uictor fieret, proelia ni fugeret;
nam praeceps uolitat, quasi uictor, hoste relicto
cursitat incautus simpliciterque fugit.
incidit in tribulos post haec sentesque malignos,
aspris inhaesit heu pius ille locis.
tum mox a tergo maledictus Cerberus instat
ore cruentato uulnera saeua dedit.
labitur exanimis multo, mirabile uisu,
irrorans uepres sanguine purpureo.
fleuerunt nimphae, sonuerunt omnia, silnae
balantumque greges ingemuere nefas.
multonem niueum, tu candida Luna bicornis,
luxisti merito, fles, ariesque poli.
iustus quid meruit simplex sine fraude maligna,
munera nec Bachi non siceramque bibit,
non hunc ebrietas deflexit tramite recti,
non epulae regum, non procerumque dapes.
illi pastus erat sollemnicus herba per agros
ac dulcem potum limphida Mosa dabat.

77 anubes *C. cfr. Verg. Aen. VIII*, 698. 78 aterque *C.* 86 *cfr. Verg. Georg. IV*, 61, 62. 92 heri. fugerit *C.* 96 pie *C.* 98 Ori *C.* 109 solomnicus *C* (*i. e. sollemnis*) *cfr. X. v.* 3.

10217393

quam Phebus lustrat radiis et crine sereno,
nam quintis decimis Maii sacrata kalendis
albicat in specie, picto micat ipsa decore.

10 Haec in honore nitet Petri Paulique choruscans, Item
uirginis et Mariae hanc sacrum nomen honestat
aedem lucifluam sparso ceu flore refertam
sanctorum reliquusque chorus haec tecta sacrauit.

XXI. ITEM DE QUODAM ALTARI.

In hoc altari sanctorum gloria pollet,
quod sacros claudit thesauros reliquiarum.
hinc preciosa crucis, hic Christi portio regnat,
infera quae uicit caelestia regnaque pandit.
5 hanc aram decorat genitricis honorque Mariae
uirginis altithroni paradisi sceptra tenentis.
seruat apostolicum decus hoc altare per aeuum,
inter quos renitet Petri Paulique triumphus.
martiribus cineres redolent hic sorte beatis,
10 in quibus est Stephani uictrix ac prima corona.
hoc altare sacrum Rorici tempore regis
antistes domini Ratbaldus iusserat esse
atque pio mentis uoto tibi, Christe, dicauit
omnibus et sanctis fieri deuouit honorem.

XXII. IDEM AD HARTGARIUM.

Nunc uiridant segetes, nunc florent germine campi,
nunc turgent uites et nunc pulcherrimus annus,
nunc pictae uolucres permulcent aethera cantu,
nunc mare, nunc tellus, nunc caeli sidera rident.
5 ast nos tristificis perturbat pocio sucis,
cum medus atque Ceres, cum Bachi munera desint.
heu! quam multiplicis defit substancia carnis,
quam mitis tellus generat, quam roscidus aether.
scriptor sum, fateor, sum musicus alter et Orpheus,
10 sum bos triturans, prospera quaeque uolo,
sum uester miles sophiae praeditus armis:
pro nobis nostrum, Musa, rogato patrem.

XX. 12 resertam *C.* XXI. 8 retinet *C.* 9 reddent *C.* XXII. 4 sydera *C.* 5 perturbant *C.* 7 desit *C.* 8 Quam itus *C.* mitis *coni. Haupt.*

10217393

qui genitore pio genitus de caesare caesar,
natus et augustus qui genitore pio.
rex benedictus adest, Karoli benedicta propago,
nunc laetare Syon: rex benedictus adest.
flos micat ecce uirens et Christi palmes honustus,
spargamus flores: flos micat ecce uirens.
maior honore cluit Francorum duxque serenus
excipe nunc, Maie, maior honore cluit.
Lucifer hic renitet pascha, qui forte latebat,
omnes laetemur: Lucifer hic renitet.
dum rosa non aderat, hic festo tempore paschae
pulcher adest caesar, dum rosa non aderat.
qui roseus fuerat Lantbertus namque beatus
excipit ecce rosam, qui roseus fuerat.
praesul et Hartgarius, Lantberti nobilis heres,
diligit augustum praesul et Hartgarius.
Mosa, tuum specimen Musis modulare canoris,
ceu Rhenus celebra, Mosa, tuum specimen.
Heridanus fluuius nam nouit caesaris almum
nomen et exultat Heridanus fluuius.
hic uir, hic armipotens meritum qui tollit in astra,
Hercule fit potior hic uir, hic armipotens.
hic tuus est Salemon, felix o Francia, gaude,
pacificus princeps hic tuus est Salemon.
stemmate iusticiae necnon pietate serenus
enitet hic rutilus stemmate iusticiae.
lilia pacis amat bellorum mixta rosetis,
candidus hic rector lilia pacis amat.

XXVI. DE ADUENTU IMPERATORIS LOTHARI.

Corde gaudemus hilares sereno,
dum redit caesar leuis ac serenus,
conferens secum bonitate dulcis
gaudia pacis.
Totus exultat populusque uernans
omne congaudet decus atque sexus
gloriam Christo recinunt ouantes
quo redeunte.
Lucifer nobis rutilat uenustus,
Franciae sidus super astra notum,
rector augustus pietate plenus,
sceptriger orbis.
Nobilis palma ecclesiaeque tutor,
marcius heros rutilans in armis,
aureum Romae specimenque magnae
gloria secli.

XXV. 10 *quid sibi velit Maius mensis non intellego.* 16 roseam *C.* 26 est *deest in codice.* XXVI. 2 auis *C.* leuis *coni. Haupt.* 10 sydus *C.*

10217393

nunc uariae uolucres permulcent aethera cantu,
produnt organulis celsa trophaea nouis.
exultant caeli, laetatur terreus orbis,
nunc alleluia centuplicatque tonos;
nunc chorus ecclesiae himnizans cantica Syon
ad caeli superos tollit osanna polos.

XXVIII. AD LEUTBERTUM EPISCOPUM.

Corde laetamur hilares sereno,
dum redit praesul decus atque blandum,
conferens secum populo benignae
gaudia pacis.
Est iubar praesens, tenebrae recedant,
pontifex almus pietate plenus,
ecce Leutbertus rutilat beatus,
gloria terrae.
Nunc papae uultus radiat nitore
arboris sacrae benedicta uirga,
floribus pollens bonitatis actu,
ceu rosa claret.
Ecce paschalis renitetne stella?
cuius aduentu hilarescit omnis
diues et pauper populusque uernat:
spargite flores.
Cui dedit Christus sua sacra dona
infolam sanctis meritis nitentem
corque tranquillum probitate comptum
Francia gaude.
Palma cui triplex fabricatur astris:
una nam claret probitate cordis,
alteram comit tuba dulcis oris
praesulis almi.
Terciam palmam decorat beatam
inclitum factum bonitate plenum,
dapsilis dextrae pietate pollens
larga potestas.
Hunc, deus, serua populo patronum,
qui regat plebem nitidas bidentes,
pascuae uitae mereatur astris
pendere caulam.

XXVIIII. DE ADUENTU FRANCONIS EPISCOPI SEDULIUS CECINIT.

Aureum sidus pietate fulgens,
inclitus praesul, preciosa lampas,
nunc redit nobis bonus ecce pastor,
gloria nostra.
Nunc iubar pulchrum renitens decore,
germinis celsi uiridisque uirga,
quae secus cursus redolens aquarum
palma uirescit.
Ecce gaudentes resonamus odis,
deserit meror speculumque mentis,
plena fulgescit radiisque Luna
uos uenerando.
Ecce Lantberti benedictus heres,
cuius aduentu hilarescit omnis
plebs et exultans sua uota noscit
te, decus almum.
Unde uenisti rutilans topaze?
fors Eden gratis latuistis ortis,
arboris uitae quia poma fertis
dulcia nobis?
Zelus an diui Finees in ara
cordis exarsit tibi, clare praesul,
filios contra Belial superbos
munere Christi?

XXVIII. 19 castitate *C* probitate *coni. Haupt.* XXVIIII. 1 sydus *C.* 13 lamberti *C.* 16 almum *deest in codice.* 18 oris *C* ortis *coni. Haupt.* 21 audiui *C.*

10217393

hic Geon Fyson Eufrates Tigris et amnis
potant christicolas nectare quosque pios.
5 mel caeleste fluens, oleum, lac suaueque uinum
ydria metretis hic redoletque nouis.
mistica nam tropicis anagoge floret in aruis,
arboris hic uitae dulcida poma uirent.
hoc opus egregium Guntharius, inclita lampas,
10 sedis Agrippinae pontificalis apex,
uouit clauigero munus hoc scriptile Petro:
Cephas, Christe, pio praemia ferte uiro.
uos uideamus, amen, Septembri mense beatos
post scenopegian uos uideamus, amen.
15 gloria, te domino, nobis clarescit in aeua,
aurea gliscat, amen, gloria, te domino.

XXXII. SEDULIUS CECINIT.

Angelus altithroni comitetur uos, rogo, fratres,
uestrae norma uiae ne salebrosa fiat,
sed duce grammatica uos ars cornupeta fandi
protegat et scuto sacra sophia suo.
5 cuius suxistis teneris uos ubera labris,
musica non absit dulcisonumque melos.
Messias uobis succenturiatus ubique,
sit uer florigerum, sit ariesque poli.
ethica christicolas ducat cosmeta sophistas,
10 illuc Iordanis quo fluit unda ferax.
hinc uestri Solimam hilares cernatis opimam
cultu diuiciis nobilibusque uiris.
quâ Bachus regnat sedes et Musa locauit,
urbs, colit, es felix, quam deus atque dea.
15 inclita te Stephani sed maior doxa celebrat,
unde leuas gnatos mater in astra tuos.
te pater, alma parens, Aduentius aurea lampas
moribus exornat pastor et ore rethor,
quem domini gnatus chrismauit ille tonantis,
20 quo regat is niueas papa beatus oues,
cuius aromaticum transcendat sidera uotum
uincat Panchaeos turibulumque thimos.

XXXI. 3 *cfr. Genes.* 2, 11—14. 4 christicolos *C.* 13 anni *C.* — *Inter uersus in fine codicis occurrunt etiam sequentes:*
Alibi Guntharius praesul Christi uenerandus amore
has fieri species speculandaque scemata iussit.
14 scenophegian *C. cfr. Ioh.* 7, 3. • XXXII. 5 tenebris *C.* 8 sis ariesque *C.* 13 Quam *C.* 15 Inclite *C.* inclita te *coni. Haupt.* 19 gratis *C.* 21 sydera *C.*

10217393

XXXV. SUPER PORTAM URBIS QUAE DICITUR PORTA SANCTI PETRI.

Innouat antiquum melior pictura decorem,
sanctorum meritis frons reparata micat.
nunc caelo est similis uere nunc inclita Roma,
cuius claustra docent intus inesse deum.
ianitor ante fores fixit sacraria Petrus;
quis neget has arces instar habere poli?
admitti ad caelos mortalia corpora credas
sub pedibus domini, dum pia porta patet.
pestes bella famem insidias casusque nefandos
erecta armipotens arce ab urbe manu.
non hic fallacem lusit pictura decorem,
sed domini populos urbs titulata probat.
parte alia Pauli circumdant atria muros,
has inter Roma est, hic sedet ergo deus
sic oculis hominum Christi praestatur imago,
nam uerum sola cernere mente licet.
laetior occubuit Paulus ceruice secanda,
cui caput est Christus, despicit ipse suum.

XXXVI. ITEM.

Laetamur subito tranquilli mente serena,
dum tranquillus adest nobilitasque potens.
glorificum nobis dominum lumenque choruscum
misit Hilduuinum dextra superna dei.
fistola nostra sonet melicis et concinat odis
sambucae superans bombuliique tonos.
quem nobis Rhenus materque Colonia misit,
excipe praecelsum, limphida Mosa, uirum.
hic uir namque uiret florens uelut arbor amoena
uirtutum liquidis imbrificata tropis,
ecclesiae specimen, paradisi fertilis arbor,
nec cedens uentis turbinibusque feris.
flumina non ipsam terrent fluctusque minaces,
namque super petram stat bene firma suam.
fert roseos flores bellis, fert lilia pacis,
et uiret in foliis semper honesta nouis.

XXXVI. 5 concinet *C.* 6 bunibulique *C.* bombuliique *coni. Haupt. cfr. Ducangii glossarium ed. Hentschel I.* 702 *sub v. bombulum.*

10217393

nec parce seuit, mercedis hinc metit amplum,
dapsilitas largas reddit opima gazas.
cuius nobilitas in uobis, optima Berta,
claret in exemplis moribus atque bonis.
congaudet populus simili te prole parentis,
exultant uariis diues inopsque modis.
terrenum sponsum caelestis nunc capit aula:
hinc tibi nunc melior sponsus inestque deus.
turturis ecce genae florent tibi mentis honestae,
emicat interius castus amorque dei,
uos niueaque stola sponsus decorauit Iesus
atque pudiciciae sparsit in ore rosas.
cinxerat et gemmis uirtutum pectus amoenum,
elegit sponsam spe meliore suam.
caesaris hanc prolem conserua, Christe, benignam
huic margaritae, sancta Maria, faue. finit.

XXXVIII.

Nos grates domino referamus riteque laudes,
ornat qui plebem semper in orbe suam.
nam sicut caelos stellarum lumine pinxit,
uestiit ut terras floribus ipse nouis,
ecclesiam decorat sanctam sic conditor almus
uirginibus uiduis coniugibusque piis.
sic fructus triplex sanctorum crescit in agro,
quam pulchram segetem post paradisus habet.
coniugium sacro fulgescit in ordine primum,
ex quo sunt uiduae uirginitasque nitens.
primus honor fuerat uobis, gradus ordine primus,
in quo seruastis iura pudica thori.
florentem iuuenem peperistis, nobile lumen,
Francorum uiridis qui quasi palmes obit.
aspera mors secuit perpulchram heu quoque uirgam,
sed tali uirga nunc paradisus ouat.
terrestrem sponsum rapuit mors inuida uestrum,
pro quo caelestis sponsus amoenus adest.
iste magis diues prae cunctis regibus orbis,
pulchrior hic uiolis, pulchrior atque rosis,
cuius mirantur sol aurea luna decorem,
laudat et angelicus quem super astra chorus.

XXXVII. 29 florentibus *C*, florent tibi *coni. Wattenbach*. 34 spem *C*. XXXVIII. 4 nouas *C*. 11 gradit *C*.

10217393

Rosa „Sum soror Aurorae diuis cognata supernis
et me Phebus amat, rutili sum nuncia Phebi.
Lucifer ante meum hilarescit currere uultum, 15
ast mihi uirginei decoris rubet alma uenustas."
Lilium „Talia cur tumidis eructas uerba loquelis,
quae tibi dant meritas aeterno uulnere penas?
nam diadema tui spinis terebratur acutis,
eheu! quam miserum laniant spineta rosetum!" 20
Rosa „Ut quid deliras uerbis, occata uenustas,
quae tu probra refers plena sunt omnia laude.
conditor omnicreans spina me sepsit acuta
muniit et roseos praeclaro tegmine uultus."
Lilium „Aureoli decoris mihi uertex comitur almus 25
nec sum spinigera crudelis septa corona.
profluitat niueis dulci lac ubere mammis,
sic holerum dominam me dicunt esse beatam."
Poeta Tunc Ver florigera iuuenis pausabat in herba,
olli tegmen erat pictum uiridantibus herbis, 30
ipsius ad patulas redolebant balsama nares
floripotensque caput sertis redimibat honoris.
Ver „Pignora cara mei, cur uos contenditis? inquit,
gnoscite uos geminas tellure parente sorores.
num fas germanas lites agitare superbas? 35
o rosa pulchra, tace, tua gloria claret in orbe,
regia sed nitidis dominentur lilia sceptris.
hinc decus et species uestrum, uos laudat in aeuum.
forma pudiciciae nostris rosa gliscat in hortis
splendida Phebeo uos lilia crescite uultu. 40
tu rosa martiribus rutilam das stemmate palmam,
lilia uirgineas turbas decorate stolatas."
Poeta Et tunc Ver genitor geminis dans oscula pacis
concordat dulces patrio de more puellas.
lilia tunc croceae dant oscula data sorori, 45
illa sed huic ludens spinetis ora momordit.
lilia uernigenae ludum risere puellae
ambroseo bibulum potant et lacte rosetum.
at rosa puniceos calathis fert xenia flores
ac niueam largo germanam ditat honore. 50

21 deleras *C.* uenustas *corr.* uetustas *C.* 30 tegenerat *C.* 32 retinebat *C.* 36 caret *C.*

10217393

0217393

10217393